


OJ
INTER·FOLIA·FRVCTVS

Programm,

wodurch zu

der öffentlichen Prüfung

der

fünf Classen des hiesigen Gymnasiums

den 27sten und 28sten März

hochachtungsvoll einladet

Dr. Carl Schönborn,

Director und Rector des Gymnasiums und der Oberlausitzischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Görlitz inländisches Mitglied.

Schweidnitz,
gedruckt bei Carl Friedrich Stuckart.
1833.

De tempore et ordine orationum Olynthiarum Demosthenis.

Olynthiae Demosthenis orationes alio quam qui nunc est in plerisque editionibus ordine a Dionysio Halicarnasseo laudantur (ep. I. ad Amm. c. 4). Vocat enim primam, quae secunda, secundam quae tertia, tertiam quae prima solet haberi. Utrumque ordinem fuerunt qui probarent variisque allatis caussis confirmare tentarent*). Sed quamquam multa ingeniose dixerunt, non tam persuadere tamen videntur, quam excitare ad quaerendum. Caussa videtur esse, quod et magna quaestionis ambiguitas est, quam tollere omnino difficillimum sit, neque eam fortasse viam ingressi sunt, quam vel ratio rei vel perspicuitas requireret. Quum enim omnis de hac re disputatio vel maxime nitatur argumentis singularum orationum, nec nisi excussis iis accuratius judicium fieri possit, quid de illa inter Dionysianum et vulgarem ordinem discrepantia statuendum sit, ab hac potius progressi argumenta orationum tantum in subsidium vocarunt, illud quidem potissimum habentes, ut aut Dionysii aut vulgaris ordinis auctoritatem loquerentur. Tentaturus igitur, num conferre quid possim ad illustrandam eam quaestionem, argumenta inprimis orationum consectabor, eaque quod statui jubent, maxime omnium amplectar.

Quum in omnibus orationibus Olynthiacis de auxilio Olynthiis ferendo agatur, hoc tamen proprium est primae, quae vulgo fertur in editionibus, quod fere ubique sermo eo recurrit. Prooemium enim, quo attentos orator auditores reddere studet, vehemens statim exhortatio sequitur, adjuncta sollicitudine, ne datam Athenienses opportunitatem elabi iterum e manibus suis patiantur. Quo magis enim Olynthii metuant Philippum, eo certiorem fore societatem eorum, quam si rejecerint Athenienses,

*) Commemorandae sunt hoc loco inprimis dissertationes Rauchensteinii et Westermanni, quorum ille Dionysianum, hic vulgarem ordinem defendit, altera earum orationibus Demosthenis a Bremio editis inserta, altera seorsim edita (Lipsiae 1830). Reliquos, qui de ea re exposuerunt, laudavit Westermann in exordio dissertationis.

ipsam eos deorum benevolentiam, cui societatis debeatur opportunitas, rejecturos esse. Atque eam esse et industriam Philippi et prudentiam, ut, nisi deponant jam desidiam suam, ipsi patriae saluti metuendum sit. Opem vero duplici exercitu ferendam esse, altero, qui fines Philippi petat ac depopuletur, altero, qui ipsis Olynthiis adsit. Pecuniam non defuturam, dummodo adhibere ad bellum velint, quam nunc ad alienos usus diffundant. Neque deesse in rebus Philippi, quod in commodum suum convertant, quippe qui nec Thessalorum nec Paeonum nec Illyriorum fide niti possit. Olynthum vero unum esse, quod apud exteros habeant, propugnaculum, quo expugnato non esse amplius, quod ab ipsis Atticae finibus Philippum arceat. Finem facit repetita ad opitulandum cohortatio.

Secunda oratio, postquam in exordio opportunitatem bello Olynthiaco oblatam commendavit, paene tota versatur in rebus Philippi describendis, quae minus videantur formidabiles esse, propterea quod malis artibus conflatae sint. Non cunctandum idcirco, quin strenue peragantur omnia, quae ad opem ferendam pertineant. Omnino nunquam aliquo momento fuisse potestatem Macedonum nisi cum alia quadam conjunctam, et cum neque subditos suos Philippus plane sibi fidos et addictos habeat, qui bellorum continuorum miseria premantur, neque milites, quorum multos tum effusa gloriae cupidine tum luxuria offenderit, mox interituras ejus opes esse, ubi primum concussae fuerint. Ergo majore Athenienses prosperitate rerum uti, dummodo intentius agere atque concordes idem consilium persequi velint.

Tertia oratio eo consilio habita videtur, ut qui ad bellum sumtus fieri deberent, e theatrali pecunia, quae dicebatur, repeterentur. Quae res quum invidiosa populo esset ipsique oratori periculosa, agenda sic erat, ut vel maxime necessariam eam esse appareret. Quapropter postquam rerum statum magna et cura et consilio egere demonstravit, ac, dehortatus cives rerum praeteritarum memoria a priore socordia, de necessitate auxilii admonuit, hoc quomodo ferendum sit indicaturus, abrogandas esse leges suadet, quae justo theatralis pecuniae ad bellum usui officiant. Neque enim sufficere psephismata, nisi peragendi quoque quod decretum sit voluntas accedat, graviora autem incitamenta, quam quae bello sint Olynthiaco, incidere non posse, itaque missa omni gratiae captatione *), nil nisi salutem patriae spectandum esse. Gratiae enim esse illam affectationem, cui deterior, quae nunc sit, civitatis conditio, imputari debeat, quae quod felicior olim fuerit, hoc ipso explicandum esse, quod quibus rebus nunc a moderatoribus reipublicae civium gratia appeti soleat, de iis nemo tum quisquam cogitaverit. Quodsi igitur etiam nunc cives recusare velint turpes illas largitiones, quibus devincti teneantur paucorum quorundam studiis, spem adhuc esse, fore ut in meliorem statum res suas restituant.

*) Gratiam autem captabant populi, qui vel instituerant alienum pecuniae theatralis usum, vel servandum censebant. Boeckh Staatshaushaltung d. Athener T. I, p. 242.

Patet ex hac orationum descriptione, prima demonstrari auxilii necessitatem, altera Philippi conditionem explicari, tertia pecuniae theatralis ad bellum conferendae necessitatem ostendi. Unde si conclusio fieri potest de caussis orationum, orator non solum hoc egisse putandus est, ut de ferendo auxilio persuaderet civibus suis, sed etiam ut de medio tolleret, quae suscipiendi belli successui fortasse officerent, quo quis neget et hostis, quem aggressuri erant, metum et sumtus faciendi difficultatem pertinuisse? Praestiti autem auxilii quum nusquam ulla mentio fiat, quid apertius esse videtur, quam nihil dum factum esse ab Atheniensibus in auxilium sociorum? Nec vero defuisse Demostheni dicendi copiam, inde intelligitur, quod de re tam gravi, de qua non modo quid sed etiam quomodo fieret consultandum erat, plures credibile est conciones habitas esse, praesertim quum exsisterent etiam, qui corrupti a Philippo Olynthiis adversarentur. Itaque si derivantur ex historia, quae alia nos statuere jubeant, gravissima ea profecto esse debent.

Hauriuntur vero quae de societate ab Olynthiis cum Atheniensibus facta atque de bello eorum cum Philippo gesto traduntur, praeter ea, quae apud ipsum Demosthenem leguntur, e Justino (8, 3,) e Diodoro Siculo (XVI., 52. 53.), denique e Philochori quibusdam fragmentis a Dionysio Halicarnasseo conservatis. Diodorus postquam motum esse Callimacho archonte (Ol. 107, 4. 349 a. Chr.) Philippi cum Chalcidensibus bellum, Giramque et alia oppida capta ab eo esse monuit, sequente archonte Theophilo Philippum narrat post captam Mecybernam et Toronen cum magno exercitu Olynthum petivisse civibusque duobus proeliis fugatis obsidione cinxisse. In oppugnandis autem moenibus etiamsi multos milites perdiderit, tamen corruptis Euthycrate et Lasthene praetoribus urbis cepisse illam et cives sub corona vendidisse. Auxilium ab Atheniensibus praestitum haud commemorat, quamquam c. 52 universe dicit Athenienses commotos inprimis Demosthenis eloquentia offecisse usque Philippo in bellis et expeditionibus ejus.

. Philochori locus (ap. Dionys. ad Amm. c. 9. Philoch. ed. Lenz p. 73) hic est: Callimacho archonte Athenienses cum Olynthiis, qui bello a Philippo petiti, legatos Athenas miserant, et societatem fecerunt et auxilia iis miserunt, peltastas bis mille, triremes autem Charete duce triginta easque instructas.“ Tum paucis quibusdam interjectis: „Eodem tempore Chalcidensibus in Thracia, quum labefactarentur bello legatosque Athenas misissent, Charidemum miserunt, quem in Hellesponto tum ducem habebant, qui cum duodeviginti triremibus et quater mille peltastis, equitibus vero quinquaginta et centum in Pallenen et Bottiaeam una cum Olynthiis profectus, terram devastavit.“ Tum de tertia societate haec: Rursus autem Olynthiis, quum legatos misissent Athenas, rogassentque, ne committeret populus, ut ipsi debellarentur, sed copiis, quae jam adessent, nova auxilia adjungerent, neque mercenariam manum, sed ipsorum Atheniensium, populus alias sedecim triremes misit, e civium

vero numero bis mille gravis armaturae milites et trecentos equites in navibus ἱππηγοῖς, ac Charetem totius expeditionis ducem."

De tempore, quo auxiliati sint Athenienses, ut subjungantur nonnulla, facile est ad exquirendum, ipsam Olynthum tum nondum obsessam fuisse. Ipse enim Philochorus quae tradidit Callimacho archonte facta esse dicit. Dionysius autem, quem in eo quoque credibile est, secutum Philochorum fuisse, Callimachum perhibet excepisse Theophilum, quo quidem archonte Philippus Olynthum ceperit. (ad Amm. c. 10). Hoc etiam Diodorus affirmavit, qui et ipse dirutam Olynthum archonte Theophilo dixit (XVI, 53). Discimus praeterea ex Philochoro (cf. Theopomp. ap. Athen. X, p. 436, C. XII, p. 532. D. E), Chalcidensibus Charidemum opem tulisse et consociatis Olynthiorum copiis Pallenen atque Bottiaeam devastasse, quod fieri vix poterat, si eodem tempore Olynthus a Philippo obsessa fuisset. Ipse Demosthenes (de fals. leg. §. 266.) Philippo narrat pugnandum fuisse cum valido exercitu Olynthiorum et Atheniensium, tantam vero proditorum segetem diffusam fuisse per Chalcidensium oppida (duo et triginta Phil. III, 26 dicuntur), ut capta fuerint antea quam annus praeterierit; et Olynth. 1, 17 suadet civibus, ut duplici exercitu Olynthios adjuvent, quorum altero sociata Olynthiis oppida serventur, altero in ipsos Macedoniae fines incursio fieret. Haec omnia si consummantur, bellum in quo Athenienses quidem aderant Olynthiis, per anni fere spatium de oppidis illis gestum est, priusquam Olynthus ipsa obsidione cingeretur. His etiam respondent quae ab Aeschine traduntur (de fals. leg. §. 12—15). Nam etsi (§. 16.) multi Athenienses dicuntur Olyntho capta in manus Philippi incidisse, ex iis tamen, quae post olympiadis centesimae octavae initium Athenis peracta esse feruntur, probabile est hoc tempore copias non amplius Olynthum missas esse.

Memorabilia sunt ex his, quae de historia Olynthiaci belli attuli, maxime quae de triplici auxilio Olynthiis praestito a Philochoro narrantur. Quum enim tot ab Atheniensibus expeditiones susceptae tradantur, quot a Demosthene orationes habitae sunt, probabile videtur, singulis illis Olynthiorum legationibus singulas quoque Demosthenis orationes respondisse. Hoc igitur num statui possit, ante omnia videndum est.

Fidem Philochori, quamquam in suscipionem vocatam a nonnullis, non est quod impugnemus. De qua nemo dubitabit, qui vel aetatem ejus (Olymp. 118. Lenz Philochori reliquiae p. 3) haud ita longe sejunctam a vita Demosthenis, vel rationem libri, qui ab omni fuco orationis alienus ipsarum tantum rerum veritatem consectabatur, vel accuratam et imperatorum et militum naviumque, quas in auxilium sociorum Athenienses misissent, commemorationem secum reputaverit. Atque est praeterea Theopompi aliquod (apud Athenaeum p. 436, C) testimonium, quo Charidemus dicitur insolentius se gessisse adversus Olynthios, quod vix est quo referamus nisi ad illam de qua Philochorus dixit, Charidemi expeditionem. Fuerunt quidem,

qui Philochori fidem eo infringi censerent, quod a Demosthene discreparet, qui (de fals. leg. §. 266.) numerum et navium et militum, Olynthiis auxilio missorum, diversum indicavisset, sed conciliari posse amborum testimonia ostendit Voemel de Olynthi civitate etc. p. 17.

Triplex igitur concedimus auxilium Olynthiis missum esse. Num vero vel Philochorus vel Dionysius e Demosthenis illud orationibus repetiverunt? Philochorus ne verbo quidem memoravit Demosthenem, quamquam indicare commode poterat in eo loco, quem conservavit Dionysius, cujus operae Olynthii auxilium Atheniensium debuissent. Itaque caussa certe nulla est, qua Philochorus putandus sit Demosthenem pro auctore auxilii habuisse. Sed eadem etiam de Dionysio dubitatio suboritur. Nisi enim ex his verbis (ep. ad Amm. c. 10) „μετὰ γὰρ ἄρχοντα Καλλίμαχον, ἐφ' οὗ τὰς εἰς Ὄλυνθον βοηθείας ἀπέστειλαν Ἀθηναῖοι, πεισθέντες ὑπὸ Δημοσθένους, Θεόφιλός ἐστιν ἄρχων, καθ' ὃν ἐκράτησε τῆς Ὀλυνθίων πόλεως Φίλιππος" colligi quidquam posse putamus, maxime ob pluralem numerum τὰς βοηθείας, fragmentum illud Philochori prorsus alio consilio Dionysius attulit, quam quo respondisse singulas orationes triplici illi auxilio demonstraret. Quum enim hoc ageret per totam illam epistolam ad Ammaeum, ut praecipuas Demosthenis orationes habitas esse doceret, antequam Aristoteles rhetoricorum libros conscriberet et laudavisset c. 8 locum rhetoricorum (III, 10. Tom. IV, p. 348 ed. Buhle), in quo mentio facta esset Olynthiaci belli, erat sane, ut accuratius, ad quem annum pertinuisset, indicaret. Hac de caussa laudavit Philochorum, e quo si patebat, latam ab Atheniensibus opem nonnisi incidere in annum Callimachi, Demosthenis quoque orationes non poterant non eodem referri, quascunque tandem caussas habuerunt. Has enim referre, nihil jam intererat Dionysii. Unde ne Dionysii quidem auctoritas est, qua quis congruere singulas orationes cum Philochori ista narratione arguat.

Sed gravissimum, quod iis obstat, qui ab auxilio illo ter lato orationes Demosthenis avellendas esse negant, id est, quod lati quidem auxilii nullum usquam vestigium deprehenditur*). Hoc neque eo explicari potest, quod praeter Demosthenem alii quoque de eadem re verba fecerint, neque eo, quod quae adversa fortuna acciderint, reticenda potius quam expromenda oratori fuerint, neque denique quod hyperbole quadam usus latam opem agnoscere noluerit (Weiske de hyperbole errorum in historia Philippi commissorum genitrice diss. III, p. 31). Habitis enim orationibus postquam bellum jam saevire per Chalcidicen coepit, afferenda quaedam fuerunt in posterioribus orationibus, quibus a prioribus distinguerentur, vel certum quendam

*) Est quidem in extrema tertia oratione, quod ad ducis cujusdam mercenariorum militum victoriam referri possit, neque defuerunt, qui Charetem intelligendum esse censerent, sed universe tantum reprehendere videtur orator ineptam illam curiositatem Atheniensium, qua nihil ipsi agentes, studiose tamen, quid alii agant, percontentur. Eandem perstringit II, 23.

colorem necesse erat oratio ea adsciscerct, quae post has illasve res ab Atheniensibus aut sociis vel prospera vel adversa fortuna gestas perorata esset. Et est sane non eadem omnium orationum ratio, at non ea tamen diversitas, quae aliam nullam nisi e secunda illa sive tertia expeditione derivatam explicationem pateretur. Tertia est tantummodo, quae dubium aliquem reddere possit. Prorsus aliam enim populi mentem fuisse, quum haberetur, quam quae secundae tempore fuit, ex ipso initio colligitur. Non amplius reformidant Philippum, cujus metum ut eximeret ipsorum animis, secunda vice in suggestum orator prodierat, sed sperant jam, mox eum poenas daturum. Itaque factum esse statuunt, quod extolleret animos populi, et repetendum illud ex historia belli putaverunt. Primum autem non satis declarari potest, quid illud fuerit. Nam quod Charidemus traditur Bottiaeam et Pallenen devastavisse, non erat, de quo tanta laetitia populus exsultaret, et quam dicunt Charetis victoriam a Theopompo memoratam (Athen. XIV, p. 532 vid. Westermann p. 35 sq.) dubium est, num ad Olynthiacum bellum pertinuerit, an, quod probabilius est, ad primam illam, quam Philippus machinabatur (Diodor. XVI, 38. Demosth. de fals. leg. §. 84. 319. Phil. I, 17 de cor. 32.) Thermopylarum occupationem, quam repulisse eum constat. Accedit quod ipsa Philochori verba (*Χαλκιδέων τῶν ἐπὶ Θράκης θλιβομένων τῷ πολέμῳ*; et ante tertiae expeditionis commemorationem *τῶν Ὀλυνθίων δεομένων μὴ περιϊδεῖν αὐτὺς καταπολεμηθέντας*) Olynthios, quum iterum iterumque auxilium peterent, magna rerum difficultate laboravisse significant. Sed alia suppetit explicandae populi, qua tum fuit, mentis ratio. E magna enim, quae propria erat Atheniensium, ingenii inconstantia et mutabilitate eorumque qui gratiam ejus blandiendo captare solebant, levitate, facile fieri poterat, ut decreto auxilio oratores quidam multa verba facerent de prosperis rebus jam exspectandis et de vindicta de Philippo sumenda. Quibus ut responderet et animo populi ad bellum jam propensiore uteretur ad abrogandam si fieri posset de theatrali pecunia legem, orationem illam Demosthenes habendam existimavit.

Singulorum locorum, quos facere judicaverunt ad tempus, cui ex illa Philochori narratione orationes accensendae sint, ne unus quidem reperitur, e quo certa quaedam conclusio fieri possit. Contra reperiuntur, e quibus auxiliatos nondum Athenienses fuisse colligatur. Ex his jam afferam, quae momento aliquo esse videantur.

§. 2. *ἡμεῖς δ' οὐκ οἶδ' ὅντινά μοι δοκοῦμεν ἔχειν τρόπον πρὸς αὐτά.* Subesse videtur oppobrium, quod tardiores se ostendant Athenienses ad auxiliandum.

§. 2. *ὅπερ καὶ πρότερον* caussa nulla est, qua ad res Olynthiaco bello gestas referatur. Intelligendae sunt opportunitates antea neglectae, ut §. 8 *οὐδὲ παθεῖν ταὐτὸν ὅπερ ἤδη πολλάκις πρότερον πεπόνθατε.* Verendum enim esse, ne Philippus, cui societate Olynthiorum cum Atheniensibus composita nihil molestius esse possit, si cunctentur, suspiciosam eam reddat Olynthiis et ad pacem eos faciendam

impellat cf. Philipp. III, 11. Metuendum hoc nonnisi ante belli initium fuisse, recte demonstravit Westermann p. 46.

§. 2. πρεσβείαν δὲ πέμπειν ἥτις ταῦτ' ἐρεῖ. Non intelligi commode potest, cur legatos censeat orator ad Olynthios mittendos esse, qui adfutura mox auxilia nuntient, nisi dubitavisse illi adhuc putantur, num exspectare ea liceret, id quod aptissimum fuerit, si nihil dum factum erat ab Atheniensibus in opem sociorum.

§. 7. οὐδὲ γὰρ λόγος οὐδὲ σκῆψις etc. νυνὶ γάρ, ὃ πάντες ἐθρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ Φιλίππῳ, γέγονεν αὐτόματον, καὶ ταῦθ' ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι. Dicit orator cur caussari Atheniensibus non liceat, quo effugiant belli necessitatem. Sponte enim sua factum esse quod ipsi antea perficere conati sint, idque quo maxime conducat Atheniensibus. In quo inprimis illud ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι vix dixisset, si Athenienses jam adversam belli fortunam experti fuissent. Conveniunt his, quae mox leguntur §. 8. οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι παραπεπτωκότα καιρὸν ἀφεῖναι et §. 9. νυνὶ δὲ καιρὸς ἥκει τις οὗτος ὁ τῶν Ὀλυνθίων αὐτόματος τῇ πόλει.

§. 10. τὸ μὲν γὰρ πολλὰ ἀπολωλεκέναι κατὰ τὸν πόλεμον τῆς ἡμετέρας ἀμελείας ἄν τις θείη δικαίως, τὸ δὲ μήτε πάλαι τοῦτο πεπονθέναι πεφηνέναι τέ τινα ἡμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι etc. De illo κατὰ τὸν πόλεμον ad bellum universum Atheniensium et Philippi referendo vide Westerm. p. 48. 49. cf. §. 6. τῷ πολέμῳ. Apparuisse Atheniensibus societatem, qua si uti vellent, resarciri posse, quae prioribus annis adversa accidissent, facillime explicatur, si de ope nondum praestita cogitamus.

§. 13. quod inter urbes Thessaliae a Philippo occupatas etiam Pherae memorantur, dubium reddere possit eum, qui cogitaverit de loco Diodori XVI, 52, in quo Philippus dicitur Pitholaum tyrannum eodem tempore Pheris expulisse, quo bellum gesserit cum Chalcidensibus. Hanc tamen, quam Diodorus intellexisse videtur, Pherarum occupationem, credibile est ad aliud tempus pertinere, quo Olynthus jam capta erat. cf. Philipp. III, 11. 12. Pherarum h. l. mentio explicanda videtur e Diodor. XVI, 37.

Si quid eo argumentari licet, quod de praestito antea auxilio prorsus tacuerit Demosthenes, est inprimis ille de ferendo auxilio (16—18) locus, in quo illud maxime desideratur. Ubi quae suadet orator, sic fere suadere non potuit, si quid jam tum in auxilium Olynthiorum factum erat.

Qui Dionysii defendentes ordinem triplex simul auxilium a Demosthenis orationibus repetunt, habent inprimis §. 21., quo nitantur. Hic enim Philippus diserte dicitur bellum exorsus esse, sperans quidem fore ut in manus ipsi omnia sine ulla difficultate incidant, qua tamen spe deceptus sit. At auxilii Atheniensium nulla mentio est. Bellum tantum ortum esse dicitur Olynthiorum et Philippi, quod dif-

ficile fore praeter exspectationem suam Philippus praevidebat, quia et Olynthii cum sociis fortiter ei resistebant, et Atheniensium exspectanda auxilia erant.

Singulare argumentum repetivit Rauchensteinius e verbis πρεσβευομένυς ἐφ' ἃ δεῖ (§. 24.), respicere ea putans ad legationem quam mittendam censuerit Demosthenes prima, quam dicit Dionysiano ordine, oratione ad Thessalos. Licet autem intelligere vel legationem §. 2. memoratam, vel quae mittenda fuerit ad alias civitates ad belli suscipiendi societatem concitandas.

In secunda oratione quae missi nondum Olynthiis auxilii indicia reperiantur, Rauchensteinius in dissertatione enumeravit. Gravissima mihi haec esse videntur.

§. 11. legatos, censet orator, mittendos esse ad Thessalos, qui subveniri Olynthiis nuntient. Curandum vero esse, ut habeant legati, quae facta a civibus suis ostendant, quoniam verba omnia deficientibus factis inania videantur (§. 12.).

§. 21. τῶν πόλεων καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστιν, ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα. Exspectari adhuc apparet, quid futurum sit, ubi bellum aliquod Macedoniae vicinum conflatum fuerit.

§. 22. κατὰ μικρόν, nisi hyperbole quaedam statuatur, cujus non satis idonea caussa est, cogitare nos vetat vel de minimo auxilio, ab Atheniensibus praestito. Eodem pertinet quod §. 23. legitur ἀλλ' οἶμαι καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες, et §. 24. νυνὶ δ' ὀκνεῖτε ἐξιέναι.

Etiam in tertia oratione, quam post decretum auxilium habitam esse constat (§. 10.), loci reperiuntur, qui ponentibus nobis eam ante quodvis auxilium facillime explicantur.

In exordio orationis expertis jam rem quandam adversam in bello Olynthiaco Atheniensibus vix dixisset Demosthenes, ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον.

§. 6. Τὰ μὲν δὴ τότε πραχθέντα οὐκ ἂν ἄλλως ἔχοι· νῦν δ' ἑτέρυ πολέμυ καιρὸς ἥκει τις, δι' ὃν καὶ περὶ τύτων ἐμνήσθην, ἵνα μὴ ταὐτὰ πάθητε. Ut apta sit quae instituitur praesentium rerum cum praeteritis comparatio, statuamus necesse est, nondum misisse Athenienses auxilium. Idem puto colligitur ex his verbis: ἐκπολεμῶσαι δεῖν ᾠόμεθα τὺς ἀνθρώπυς ἐκ παντὸς τρόπυ· καὶ ὃ πάντες ἐθρύλυν τέως, τῦτο πέπρακται νυνὶ ὁπωσδήποτε. τί οὖν ὑπόλοιπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πλὴν βοηθεῖν ἐῤῥωμένως καὶ προθύμως; (§. 7—8.).

§. 15. καὶ πρᾶξαι δὲ δυνήσεσθε νῦν, ἐὰν ὀρθῶς ποιῆτε. Nondum igitur fecerant quidquam in auxilium Olynthiorum; de hoc enim sermonem esse intelligitur e sequentibus verbis: τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε;

His adnumerandus est locus §. 20. ὁρᾶτε οὖν ὅπως καὶ τὰ πράγματα ἐνδέχεται καὶ δυνήσεσθε ἐξιέναι καὶ μισθὸν ἕξετε.

Ex his omnibus, quae adhuc disputavi, si probabilius videtur, ante quam post belli ab Atheniensibus Olynthiorum caussa gesti initium orationes habitas esse, illam simul, quae de ordine est earum, quaestionem jam minus gravem esse intelligitur. Videtur autem haec quaestio inprimis revocanda esse ad discrimen quoddam, quod inter primam, quae vulgo fertur, et reliquas duas intercedit. In posterioribus enim quum tranquillius videatur et placatius dicendi genus regnare, id quod artificiosior testatur singularum periodorum structura atque major sententiarum concinnitas, in priore orator solutiore dicendi genere usus, insurgit simul vehementius atque externum illum orationis nitorem minus curat. Qua differentia fuerunt qui Dionysianum ordinem probari existimarent, quoniam majori orationis vehementia in summo rerum discrimine etiam maxime opus fuerit. Sed quid obstat, quominus eandem vehementiam ex illo quod diximus orationis consilio h. e. ex necessitate auxilii demonstranda repetamus, praesertim quum cogitare liceat, fuisse ante Demosthenem, qui detrectandum petitum auxilium esse dixissent?

Alterum, in quo apparet differentia ista, in eo positum est, quod prioris quidem magnam partem sententiae eaedem sunt quae posteriorum, harum vero neutra ab altera aliquid adscivisse videtur. Unde si quid colligere licet ad ordinem orationum, quaerendum est, quid verisimilius sit, oratorem in posterioribus illis ante oculos habuisse primam, quae vulgo fertur, an haec si tertia statuitur, in conficienda ea duas illas.

Secundae orationis locum Ulpianus (p. 20 ed. H. Wolf) eo judicabat agnosci, quod quae in prima oratione de benevolentia deorum documenta exhibeantur, in altera jam non necessaria amplius habeantur. Haec non tam inepta sunt, quam visa sunt nonnullis. Nam etsi non nimis urgenda sunt, quae de benevolentia deorum dicuntur, tamen si spectamus, quae, I, 4—11 de opportunitate belli gerendi dicuntur, summatim ea omnia exordio secundae orationis contineri apparet. Licebat autem haec ita breviter dicere ratione habita eorum, quae prolixius antea explicata fuerant.

Alia ratio est eorum, quae de theatrali pecunia cum in prima tum in tertia oratione leguntur. Uberiora sunt, quae tertia complectitur. Sed quae brevior est in prima ejus rei mentio, non eadem simul concinnior vel limatior, neque ea omnino, quae Demosthenem jam antea copiosius de ea re exposuisse nos statuere jubeat. Nam si successum non habuerunt, quae dixisset antea accuratius, quomodo re levius significata effici aliquid potuit? Neque hoc jam unice agebat hac prima oratione, ut conferretur theatralis pecunia in belli usum, sed ut auxilium decerneretur, in quo quum exoriturae esse dubitationes viderentur de sumtibus unde fieri possent,

occurrere iis orator voluit monitis quidem civibus, suppetere satis pecuniae, dummodo uti ea ad bellum vellent.

Si qua igitur ex iis, quae attuli, neque exstant certiora, conjectura derivari potest, prima autem, quae fertur in plerisque editionibus, re vera Demosthenis oratio est, in vulgato ordine acquiescendum videtur. Nec major profecto difficultas Dionysii objicitur auctoritate quam omissa apud seriores grammaticos Dionysiani ordinis mentione codicumque qui vulgatum ordinem praebent, consensu (quo discrepet Augustanus codex vid. ap. Reisk. App. crit. Tom. I. p. 230 ed. Schaefer). Praeter Ulpiani enim testimonium non exstat, quo iste quidem ordo significetur: illudque adeo num eo pertineat dubitari potest.